

Franckesche Stiftungen zu Halle

Ad Venerandvm Praesvlem, Ioannem Fabricivm, Doctorem Theologvm Celeberrimvm, In Illvstri Ivlia Professorem Emeritvm ... Epistola

Schnorr, Paul Dietrich

Helmaestadii, [1724?]

VD18 12142050

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.


For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-198352




QUum permulta Tua, eaque insignia, in Iulia nostram extent promerita, VENERANDE PRAESVL; tum illud jam praecipuis annumerandum, quo cumulum reliquis addere libuit; quod Historiae bibliothecae Tuae totum VI nobis benevole nuncupare volueris. Pertinet ad Academiae nostrae splendorem adaugendum, si plures in ea vigeant summa auctoritate doctrinaque incliti doctores, qui, dum juvenes undique adventantes scientia politorumque litterarum studiis augent strenue, nominis quoque sui famam, exactis ingenii elegantissimi monumentis aere perennioribus, longe lateque proferre, ac posteritati pariter consulere sargunt. Et vero tales apud nos a condita hac studiorum universitate usque floruisse, atque hodiernum florere praestantissimos, indulgentissimo bonarum artium datori laeti merito acceptum referimus. A tali autem viro, qualem TE colit omnis eruditorum natio, contenta esse poterat Iulia nostra, si, dum nomen familiae claritudine amplissimum, novo jam volumine confecto, aeternitati inferre ipse paras, et, in confinio quamvis ac limine senectae constitutus, bene tamen de re sacra et litteraria mereri non omitis, aliquam ea sibi partem honoris Tui jure quodam suo vindicaret. Sed, quae Tui in nos amoris exsuperantia est, quum ita nobis omni modo satisfecisses; TIBI tamen hac ratione nondum esse satisfactum existimabas, nisi publice omnibus testatum faceres, quantaе TIBI curae sit honos Academiae, in qua ornanda et amplificanda tantum operae cum studiose ponas, tum libenter. Quae eximiae benevo-

lenticiae significatio, dedicatione libri, exquisitissima doctrinae copia referti, declarata, quantopere TIBI nos devinxerit, et quantas hoc nomine gratias debeamus, tacito pectore intra mentem non esse premendum, sed publice potius, quo vinculo obstricti simus, id quod pace Tua fiat, confitendum esse censuimus. Quum enim nihil esse intelligamus, quod Tv nostra causa non sis facturus; istud quoque TIBI persuadeas, quae sumus, neminem nostrum esse, qui non tantundem unus TIBI se debere profiteatur, quantum omnes TIBI nos debere agnoscimus. Pro tantis autem in nos meritis qui gratos nos exhibeamus, id vero est, quod nondum satis perspicere licet; nisi in eam partem accipere digneris bona verba, quibus quiete et pure et eleganter actae aetatis placidam ac lenem senectutem uaspicato omine gratulamur. Ea Te gratia, HUMANISSIME PRAESVL, mactavit vitae nostrae rerumque humanarum arbiter benignissimus, qua non nisi paucissimos impertiri solet, ut majorum Tuorum, quos sapientissimos caelestium oraculorum interpretes, summo loco positos, per alterum jam saeculum haud interrupto ordine venerati sunt boni omnes, ut, inquam, majorum Tuorum, et quod magis est, omnium, qui a condita Iulia in hunc usque diem docentium cathedras exornarunt, omnium denique Regiae Luteræ praesulum, quotquot splendida ista dignitate effulserunt, aetatem attingeres, imo longissime superares. Felicem ergo Te jure praedicamus, qui cum tot viros antecedas, atque ea sis aetate, qua alii infinitis aegritudinum difficultatibus, valetudinisque adversae incommodis misere afflicti, senectutem esse onus Aetna gravius, dolentius conqueruntur, illibato ferme usu




usu virium corporis animique, alacer et erectus incedas, ac vere gloriari queas: *clare oculis video, pernix sum manibus, sum pedes mobilis.* Quid, quod memoria adeo felici etiamnum polleas, ut quae olim et nuper legendo vel fando perceperis, exactissime recorderis. Quare et ad negotia, quibus multiplicis officii ratione implicatus es, dextre subeunda non solum robur TIBI suppetit; sed aliis praeterea laboribus assidue suscipiendis ac ferendis par es. Nullus omnino liber est, quem TV non totum imbibas. Nihil est in religionis nostrae mysteriis, cujus interiora in secreto non volutaveris, ac penitus introspexeris. Nemo est, qui de rebus maximi momenti ad TE referat, aut litteris TE officiose saluter, qui non idem promptissimum abs TE responsum ferat. Tacemus salutantium et peregre advenientium turbam, quae studia Tua quotidie interpellat, eoque magnam diei partem aufert. Inter haec omnia, et quae forsitan plura indies peragenda sunt, tempus aliquod TE dare voluminibus excudendis, res ipsa, et vel novissimus hic vivacissimi ingenii fetus loquitur: qui si unus existeret; haber autem orbis eruditus abs TE multo plures, eosque dudum ab aequis rerum aestimatoribus honorifice probatos; solus nomen FABRICIANVM immortalitati adfereret. Si miraculi instar est, nec sine numine fieri posse creditur, genuisse liberos in senio, quo effeta naturam tremula et collabescencia produnt genua: quidni agnoscamus et veneremur praefens numen, quo ingenium pectusque vegetante, integerrimo omnium membrorum ac sensuum officio, ardore paene inexhausto, indefessus, impiger, et par aut superior negotiorum molestiis, partum edidisti iudicii

dicii bonarumque rerum copia abundantem, elucubra-
 taeque dictionis accurate politissimum. Atque dum
 verborum concinnitati semper TE studuisse re ipsa con-
 firmas, fallimur, anne Tuo exemplo orationisque au-
 ctoritate cives docere academicos volueris, operam
 esse dandam, ut, qui ab ipsis foras in lucem hominum
 aliquando exituri sint libri, sicut in rebus, ita et in
 verbis probentur, nec inane esse studium, quod in
 verba impenditur, cum teres et comta oratio ad per-
 spiciendum id, quod dicitur, alliciat, ac suavem re-
 bus gratiam conciliet; incomitior autem horrorem in-
 cutiat, animumque ab iisdem avertat quam longissi-
 me. Habet admirationem non adeo magnam, si
 portentosi juvenes ingenii scriptis elegantissimis matu-
 re inclarescant; eos quippe igneus fervor, et ad au-
 dendum irrequietus, stimulat, excitat, propellit. At
 ubi anni ingravescentes vigorem imminuunt, vires car-
 punt, deterunt, si quis nihilominus in stadio neque
 lassetur, neque subsistat, ea vero Hesiodi senectra est,
 quem ferunt, posito senio, in virides annos rediisse.
 Dum itaque annis senex, non ingenio, quam plurima
 habes argumenta, quibus TE probes diu vixisse, at-
 que in litteris ita vixisse, ut, Iuliano ac Pomponio
 ICTis solertior, quotidie aliquid addiscens senex fieres,
 vivendique rationem optimam in primum et octogesi-
 mum annum aetatis duceres, neque unquam in studio
 et opere cessares: gratulabunda TE posteritas jure
 optimo collaudabit inter eos, qui natu grandiores, ad
 labores tamen capeffendos nec lenti nec molles exstite-
 runt. Gloriari nunc desinat Graecia, quod divinae
 vocis et eloquentiae suavitate commendatissimus Theo-
 phrastus, senex annorum septuaginta novem, (hanc
 enim



enim aetatem ab eo notatam esse, nulli dubitamus,) in libro, quem characteres inscripsit, prudenter et constanter fuerit philosophatus. Habeat Dania suum Nicolaum Hemmingum, qui nunquam otiosus, rude licet donatus, maxima utiliaque ingenii monumenta confecit. Magnificiat suum Majorem Ioannem, florentissimum illud Musarum domicilium, quod Ienae est, eumque arte magnum, nomine majorem, aeternitate maximum praedicet. Efferant denique gentes ac nationes aliae suos Nestoras: non habent, cur illis inuideant dulcissimae ad Elmum sorores. Quum enim talium virorum tanta studia sola virtus assequi possit; assecutus ea est venerabilis FABRICIVS. Ostendere antea non poteramus magnonatu viros, praeter CASELIOS et CALIXTOS: quorum tamen nemo octogesimum aetatis annum supergressus est. Postquam vero TV nobis tam fortunate beateque vixisse visus es, ut vivendo illos vinceret; in spem non dubiam adducimur, fore, ut, qui non intus modo domique praestans es, sed in luce atque in oculis tum optimatum et principum virorum, tum literatorum magnus, vitam in plurimos adhuc annos proferas. Macte esto, VENERANDE PRAESVL, praeclarissima hac felicitate, qua certare potes cum iis, quorum in his rebus singularis felicitas esse putatur, et gloriae, virtutibus ac meritis partae, per longam amplius annorum seriem interfis. Vigeas inter prima Iuliae ornamenta, vegeto ingenio in vivido pectore, non sine spe longinquioris diuturnitatis, atque Isocratis ac Leon-tini Gorgiae excellenti prosperitate porro usus, nihil unquam habeas, quod senectutem accuses. Id quod eo confidentius DEVM precamur, quum certis rerum docu-



documentis convicti sciamus, quibus adolescentiae fundamentis subsistat senectus Tua, perpetua nimirum vitae innocentia, atque hilari frugalitatis praesidio, quo solo eoque praesentissimo remedio Nicolaum Leonicensem, qui, IOSEPHO SCALIGERO iudice, primus salutare philosophiae aequae ac medicinae artes cum humaniorum litterarum amoenitatibus conjunxit, vitam extulisse novimus in annum usque sextum et nonagesimum. Aedes firmo solidoque fundamento superstructae, quam diutissime durant, tempestatumque injurias contemnentes ad longinquum et immensum plane tempus permanent, donec in illud veluti defessae tuto recumbant. Recumbas, una voce precamur, sero in id, quod Tute virtutibus pulcherri-
 mis TIBI construxisti, ac τοῦ προτέρου βίου πολὺ ἔχων, οὐδὲν τοῦ νέστορος ἀγενέστερος, viris principibus, rei sacrae pariter ac litterariae statoribus maximis, omnibus denique carissimus, sospes atque incolumis persistas, sicque tandem, quae in luculenta bibliothecae Tuae historia describenda superesse ais, publici commodi causa absolvas propediem, telamque integram fortunatissime pertexas. Vale. Scribeb. Helmaestadii in Academia Iulia a. d. X Kalend. Septembres

A. S. R. clōcccxxiii.